

IN LIBRUM B. PATRIS TOBIAE ALLEGORICA INTERPRETATIO. (C)

Liber sancti Patris Tobiae, et in superficie litterae salubris patet legentibus, ut pote qui maximis vitae moralis et exemplis abundat et monitis. Et si quis eundem etiam allegorice novit interpretari, quantum poma foliis, tantum interiorum ejus sensum videt simplicitati litterae praestare. Maxima namque Christi et Ecclesiae sacramenta, si spiritualiter intelligitur, in se continere probatur. Siquidem ipse Tobias populum Israel designat, qui, cunctis gentibus idololatriae deditis, ipse serviebat Deo fide recta et operibus justis, sicut de Tobia legitur.

(Tob. I.) *Quia cum irent omnes ad vitulos aureos, etc.* Jeroboam quippe, qui ad deceptionem subditorum sibi vitulos fabricavit aureos, idololatriae auctorem exprimit.

Et quidem captus erat Tobias . . . viam veritatis non deseruit. Haec captivitas a rege Assyriorum facta illam generis humani captivitatem designat, qua per regem omnium pravorum, hoc est diabolum, de patriae coelestis est habitatione projectum, et in hujus exilii peregrinationem transmigratum est.

Impertiebatur Tobias cuncta quae habere poterat quotidie cum captivis fratribus, etc. Et populus Israel in doctoribus suis, verbi Dei eleemosynam non solum rudibus suae gentis auditoribus, sed et his qui ex nationibus in ritum conversationis eorum converti volebant, ministrabat. Quidquid enim naturalis boni habere poterat, quae non ab hoste captivante tolleretur, totum hoc suis in exemplum

virtutis ostendebat. Sed et portionem semper aliquam scientiae salutaris etiam gentilibus dabat; quod est decimationem suae substantiae Tobiam advenis ministrare.

Tobias postquam factus est vir, accepit uxorem Annam ex tribu sua, etc. Et populus idem, postquam adolevit et amplificatus in Aegypto, accepit synagogam caeremoniis legalibus institutam per Moysen.

Genuit ex ea filium, etc. Quia Christum ex suo genere nasciturum esse cognovit, dicente Moyse: *Prophetam suscitabit vobis Deus noster de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis (Deut. XVIII)*. Et Dominus ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem meam (Psal. CXXXI)*. Cui nomen suum imposuit, credendo et confitendo, quod dicit de illo pater: *Et ego primogenitum ponam illum (Psal. LXXXVIII)*. Sicut de ipso populo dicit, *Filius meus primogenitus Israel (Exod. IV)*.

Quem ab infantia timere Deum docuit, etc. Credendo et confitendo, quia peccatum non faceret, nec inveniretur dolus in ore ejus, sed impleret eum spiritus timoris Domini.

Tobias Gabelo contribuli suo egenti dedit sub chirographo decem talenta argenti. Et populus Dei gentibus per LXX Interpretes divinae legis, quae in Decalogo continetur, scientiam commisit, ut per hoc eas ab infidelitatis egestate liberaret. Sub chirographo autem dedit, id est sub conditione restituendi, postquam ipse ditesceret, vel qui dederat repeteret. Acceperunt autem gentes verbum Dei a populo Israel per interpretationem, quod post incarnationem dominicam etiam spiritualiter nunc intelligunt, et ad

conquirendas virtutum divitias exercent; reddunt vero feneratori, cum credentes in fine saeculi Judaeos in unitatem Ecclesiae recipiunt, eisque salvandis Christi sacramenta committunt, et Scripturarum quoque reserant arcana.

Jubetur Tobias a rege occidi, et tolli omnem substantiam ejus propter bona quae fecit, etc. Et diabolus satagebat populum Dei per idololatriam spirituali morte perimere, et ei cunctas virtutum opes auferre, nec valuit; quia multi erant in eo sancti doctores, qui ejus vitae providerent ac saluti.

Fugit autem cum filio et uxore. Quia nec fidem dominicae incarnationis, nec statum synagogae potuit hostis auferre, quamvis violenter insisteret qui in Machabaeorum agonibus multum claruit.

Sed occiso rege a filiis suis, restituta sunt cuncta sua Tobiae. Quia superato saepius diabolo, ac suis sceleribus, quae velut pessimam prolem genuit, condemnato, rediebant prospera populo Dei. Quibus altercationibus etiam Ecclesiae statum post incarnationem Domini fluctuare videmus.

(Tob. II.) *Fatigatus a sepultura Tobias venit in domum suam, et factus est caecus.* Ne mireris, lector, quae aliquando bona typice malum, aliquando bonum mala hominum facta significant. Quod si non liceret, nunquam nigro atramento, sed auro semper lucido scriberetur Deus, quia lux est. Sed etsi nomen diaboli in calculo scribas candido, nihilominus tenebras significat profundas. Caecatus ergo Tobias designat quia, sicut Apostolus ait, *Caecitas ex parte contigit in Israel (Rom. XI).* *Fatigatus est a sepultura, et caecatus,* quia qui infatigabilis in bonis operibus persistit, nunquam fidei

luce privatur. Jacet spiritualiter, et dormit fatigatus, qui vigilare et stare in fide, viriliter agere, confortari negligit. Cui bene congruit illud apostolicum: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephes. V)*. Hirundines propter levem volatum, superbiam, cordisque levitatem figurant, quarum immunditia confestim eos, quibus dominatur, excaecat. Quasi enim nido hirundinum suppositus dormit, qui levitati, lasciviae ac superbiae mentem incautus subjicit. Haec autem caecitas populo Israel, maxime imminente adventu Domini in carne praevaluit, cum et Romanae servitutis iugo premerentur, et legis divinae praecepta pessime vivendo violarent.

Insultabant Tobiae cognati, exprobrabat et uxor, quasi frustra Deo servisset. Quos increpans ille, et instruens, ad Deum se orando convertit. Erant in populo illo quidam qui stulta temeritate ipsius populi miseriis insultarent, quae a felicitate prisca sanctorum patrum, qui apud eos quondam Deo sublimiter serviebant, jam luce distaret. Quos idem populus per doctores quosque et electos suos corrigere sedulus curabat, seseque ad implorandam Dei clementiam pro aeternae vitae perceptione convertibat. Nec ab re debet videri, quae idem Tobias et caecus, et verbum Dei praedicans, reprobos simul et electos significare dicitur. Nam et Jacob patriarcha, cum angelo, luctans et claudus pariter est factus et benedictus; in claudicatione videlicet infideles suae gentis significans, in benedictione fideles.

(Tob. III.) *Sara filia Raguelis in civitate Medorum, quae tradita erat septem viris, et daemonium eos occidebat, mox ut ingrediebantur ad eam.* Turbam nationum figurate denuntiat, cujus doctores cuncti hujus tantum saeculi, quod septem

diebus volvitur, vitam noverant, de aeterna nil dicere sciebant. Ideoque sunt omnes a diabolo rapti, ut pote idololatriae mancipati, donec verus adveniret sponsus Dominus noster, qui hanc sibi per fidem, hoste superato, conjunxit; sicut Tobias Saram alligato daemonio sponsam accepit, praecipiente et cooperante archangelo, per quem divinitas nostri Salvatoris non incongrue significatur, sicut per Tobiam humanitas. Nec mirabitur hoc quod duas personas, angeli videlicet et hominis, unam Mediatoris Dei et hominum personam, dicimus figurari, qui in expositionibus Patrum venerabilium legerit unam ejus personam pro mundi salute patientis in Isaac, qui offerebatur a patre in altari, et in ariete, qui immolabatur, esse figuratam. Qui in humanitate occidebatur ut ovis, in divinitate impassibilis, permanet cum Deo Patre, ut vivens cum suo patre domum revertitur Isaac. Si enim apte aries humanitatem Christi, homo designat deitatem; cur non multo aptius homo humanitatem, angelus deitatem significet?

Missus est ergo angelus Domini sanctus Raphael, qui interpretatur medicina Dei, ut et Tobiam a caecitate, et Saram a daemonio liberaret. Missus est Dominus in mundum, qui de seipso ait, Non est opus valentibus medico, sed male habentibus (Luc. IV); qui et populum Judaicum a tenebris perfidiae, et gentilitatem ab idololatriae servitute redimeret. De quo dixit propheta: Et vocabitur nomen ejus Magni consilii angelus (Esa. IX).

(Tob. V.) Apparuit angelus Tobiae, eique se socium praebuit, per quem magnalia populo ad quem missus erat perficeret. Et Filius Dei hominem assumpsit, in quo visibiliter cum hominibus conversatus, humanum genus salvaret.

Introduxit Tobias angelum ad patrem suum, qui salutavit eum, dicens: Gaudium tibi sit semper. Cui respondentem: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, et lumen coeli non video? Forti, inquit, animo esto, in proximo est ut a Domino cureris. Et Dominus noster per miracula quae fecit in carne, ostendit populo Judaeorum, ex quo carnem susceperat, quia ipse est Filius Dei, et angelus, id est, nuntius paternae voluntatis. Cui etiam gaudium perpetuae salutis praedicavit, dicens: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum (Matth. III). Et desperantibus de acquirendo lumine coelesti: Ego sum, inquit, lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae (Joan. VIII).

Promittit angelus Tobiae ducere filium ejus in Rages civitatem Medorum, et reducere ad eum. Promittit Dominus credentibus ex populo Judaeorum, quamvis idem populus ex magna sit parte caecatus, quod incarnationis suae sacramenta plebi gentilium aperiat, rursusque in fine temporum, eadem suo populo ex quo carnem assumpserat, latius pandat, comitante ubique simul et cuncta operante fide divinitatis ipsius. Dicit ipse de ductu ad Medos: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, etc. (Joan. X). Dicit Apostolus de reditu: Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. XI).

Interrogante angelum Tobia, unde esset: Ego sum, inquit, Azarias Annaniae magni filius. Azarias interpretatur adjutor Dominus, Annanias gratia Domini. Et Dominus his qui in se credunt intimat quia ipse est quem venire desiderans propheta cantabat: Adjutor meus et liberator meus esto, Domine, ne

retardaveris (Psal. LXIX). De quo et evangelista: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis (Joan. I).

Tunc, paratis omnibus quae erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo et matri, et ambulaverunt ambo simul. Apparente in carne Domino, parata sunt omnia quae ad redemptionem mundi pertinerent, et quibus sanctae Ecclesiae fides ac vita nutriretur et firmaretur, donec hujus saeculi viam terminaret; id est, virtutes ejus, doctrina, tentatio, passio, resurrectio, ascensio, Spiritus sancti missio, fides credentium, infidelium persecutio. Quibus in Judaea peractis ipse Mediator Dei et hominum praedicavit per apostolos populo et synagogae, unde carnis originem susceperat, gaudia supernae salutis et pacis. Et his qui credere atque accipere volebant, ea per seipsum donavit, sicque ad salutem gentium in eisdem suis doctoribus venit.

(Tob. VI.) *Profectus est ergo Tobias, et canis secutus est eum.* Veniente Domino ad salvandas gentes, sancti praedicatores sunt ejus vestigia secuti, quia quod jussit, impleverunt: *Euntes docete omnes gentes (Matth. XXVIII).* Denique domum Cornelii primo ipse Dominus Spiritu sancto replevit, et sic Petrus aqua perfudit **(Act. X).** Canes autem vocantur doctores; quia domum, substantiam, oves sui Conditoris spirituales, a furibus bestiisque, id est, ab immundis spiritibus et hominibus defendunt haereticis.

Mansit Tobias, duce angelo profectus, prima mansione juxta fluvium Tigrin; et exivit ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Hic denuo passionis dominicae sacramentum manifestius significatur. Piscis enim

immanis, qui a Tobia, cum eum devorare appeteret, angelo docente occisus est, antiquum generis humani devoratore, hoc est diabolus designat, qui dum in Redemptore nostro mortem carnis appeteret, captus est potentia divinitatis. Fluvius Tigris, qui propter rapidissimum cursum a tigride bestia velocissima nomen accepit, decursum nostrae mortis ac mortalitatis indicat. In quo piscis latebat immanis, quia invisibilis humani generis seductor mortis habebat imperium. Mansit Tobias juxta Tigris fluentia, quia Dominus in mundo apparens, inter peccatores ac mortales vitam duxit, sed eum nec peccati unda tetigit, neque in illo suum aliquid adveniens princeps tenebrarum reperit. Exivit autem Tobias in fluvium, ut lavaret pedes suos; et Dominus mortem, cui nihil debebat, suscepit, ut fideles omnes, sua videlicet membra, a contagio peccati et mortis ablueret. Occurrit Tobiae piscis, devorare illum cupiens; et Domino passo in cruce venit diabolus, qui eum crucifigi docuerat, quaerens si quid forte in ejus anima sceleris inveniret.

Expavescens piscem Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me. Et Dominus, imminente mortis articulo, coepit pavere et taedere, non diabolus pertimescens, sed mortem, quae *invidia diaboli intravit in orbem terrarum (Sap. II)*, naturali carnis fragilitate perhorrescens; unde et orabat, ut, *si fieri posset, transiret ab eo hora (Marc. XII)*. Et dixit: *Abba Pater, omnia tibi possible sunt, transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu (Luc. XXII)*.

Dixit angelus Tobiae, Apprehende branchiam piscis, et trahe eum ad te. Apprehendit Dominus diabolus, et eum qui se in morte capere voluit, moriendo cepit et vicit. Apprehendit

autem branchiam ejus, ut caput nequissimum a corpore decepto, potentiae suae dextera separaret, id est, nequitiam hostis antiqui ab eorum quos sibi male conjunxerat, et quasi unum corpus secum fecerat, corde auferret, et hos ecclesiae suae corpori pius Redemptor insereret. Branchiam quippe habet piscis in confinio capitis et corporis sui. Sicut autem Dominus noster caput Ecclesiae suae, Ecclesia vero corpus est ejus; ita diabolus caput omnium iniquorum, et omnes iniqui corpus et membra sunt ejus. Apprehendit ergo Dominus branchiam piscis immanissimi, et traxit eum ad se, projecitque in siccum, quia potentiam diaboli comminuens, traduxit palam confidenter, eruitque de potestate tenebrarum, quos filios lucis esse praescivit.

Quod cum fecisset, palpitare coepit in sicco ante pedes ejus. Cum Dominus nequitiam maligni hostis superans proferret in lucem, atque omnibus redderet manifestam, molitus est adhuc superbiens persecutionem electis ejus commovere, qui sunt pedes ejus; quia per ipsos ambulat in terra Dominus qui super omnia regnat in coelo.

Tunc dixit ei angelus Domini, Exentera hunc piscem, etc. Exenteravit Dominus piscem, cum nequitiam diaboli latius sanctis aperuit, et quasi arcana insidiarum ejus evisceravit. Reposuit sibi cor ejus, quia calliditatem ejus libris sanctis involvit; de qua scriptum est, *Serpens autem erat callidior cunctis animantibus terrae (Gen. III)*. De quo corde dixit et Paulus: *Non ignoramus cogitationes ejus (II Cor. II)*. Reposuit et fel, quia quanto malitiae furore contra genus humanum saeviret, propter cautelae studium scribi et conservari voluit. Jecur quoque reposuit, quia maturitatem consiliorum ejus malignam adversum nos innotescere nobis

per doctores veritatis dignatus est. Ferunt enim quia calore ac virtute jecoris occulta cibi excoquantur comesti, et ad digestionem perveniant. Cum vero ea quae agere disponimus, sedula cogitatione quo ordine sint peragenda exquirimus, quasi acceptos in stomacho cibos ardore jecoris excoquimus.

Sunt enim haec necessaria ad medicamenta utiliter. Astutia et malitia diaboli hostis antiqui nobis agnita proficiunt ad medelam; quia quanto ea certius exploramus, tanto cautius declinamus.

Assavit Tobias carnes piscis, etc. Quidquid ex pisce sibi assumpserunt, eos significat qui de membris diaboli in Christi membra transferuntur, id est, de infidelitate convertuntur ad fidem. Quidquid vero dimiserunt, eos econtra demonstrat, qui, audito Dei verbo, malunt inter membra mortua ac putida sui deceptoris residere, quam in societatem Salvatoris reverti. Assavit carnes ejus in eis quos carnales invenit, sed igne sui amoris spirituales ac fortes reddidit. Denique Spiritus sanctus in apostolos in ignis visione descendit. *Caetera, inquit, salierunt;* quod ad doctores spiritualiter pertinet, quibus dicitur: *Vos estis sal terrae (Matth. V).* Salierunt autem, id est, Tobias et angelus; quia idem Mediator Dei et hominum, et humanitus apostolos docuit loquendo, et divinitus eis in corde salem sapientiae tribuit.

Tulerunt autem secum quae sufficerent eis, etc. Quia Dominus tantos de Judaea collegit ad fidem, qui sufficerent, ad exemplum vivendi, vel ad ministerium praedicandi, quousque etiam in gentibus Ecclesiae fundamenta locaret.

Suggerit angelus Tobiae, ut ingressus domum Raguel, filiam ejus Saram petat sibi uxorem. Raguel indicat populum gentium, quem Dominus per praedicatores suos visitare dignatus est; ut de ejus stirpe sibi sponsam assumeret, id est, ipsam gentilitatem sibi Ecclesiam faceret. Congruit et Sarae nomen Ecclesiae, propter Saram conjugem Abraham patriarchae, quae genuit Isaac filium promissionis, id est, liberum Ecclesiae populum. Nomen quoque Raguel, qui interpretatur pastus ejus Deus, sive amicus Deus; illum designat populum, qui, victa diaboli fraude, se suosque Domini consortio nectit qui dicere novit: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit (Psal. XXXII).* Et audire meretur: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos (Joan. XV).*

Tibi debetur omnis substantia ejus. Et Pater ad Filium: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et caetera (Psal. II).*

(Tob. VII.) *Ingressi sunt ad Raguelem, qui eos suscepit cum gaudio.* Adiit Dominus populum nationum per doctores sui verbi, qui libenter accepit in plurimis locis, ut apostolorum Actus testantur.

Petitus filiam Raguel primo expavit, sciens quid provenisset illis septem viris; sed docente angelo, quia immundi eam habere non possent, Tobias autem, qui Deum timebat, posset, mox dare consensit. Audiens verbum fidei populus gentium, atque ab apostolis admonitus, ut de sua progenie per orbem Ecclesiam Christi faceret, non sine certa exploratione potuit novae fidei jura legemque suscipere; sciens quod multis temporibus priscis habuit doctores, qui omnes quasi septenario numero comprehensi, hujus solum vitae gaudia

noverant, de aeternis nihil certum dicebant, ideoque illos absque spe vitae immortalis, aeternae mortis rapuisset interitus. Sed docente intrinsecus ipsa veritate, quae foris per doctorum ora sonabat, tandem intellexit quia necesse esset ut stulta dicerent stulti, perirentque hi qui Dominum verum non noverant; jure autem mundi Conditor in mundum veniens, mundi regimen susciperet. Et fidem confessus Christi, ejus se sacramentis sanctificari gaudebat.

(Tob. VIII.) *Introductus Tobias ad Saram in cubiculum, protulit de cassidili suo partem jecoris, etc.* Et Dominus accepturus Ecclesiam de gentibus, in primo dispositionis ejus initio jubet eam in singulis credentibus abrenuntiare Satanae, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus; ac deinde confiteri fidem sanctae Trinitatis in remissionem peccatorum, quod est intima pacis viscera vivis cremare carbonibus.

Quibus actis angelus apprehendens daemonem ligavit. Quia post abrenuntiationem diaboli, post confessionem rectae fidei, sequitur remissio peccatorum, expulso daemonio per aquam baptismi. Ligavit autem eum, quia a fidelium laesione retinuit; quos etsi tentare aliquoties permittitur, ut probentur, superare tamen prohibetur ne a fide deficient.

Ligavit eum in deserto superioris Aegypti. Et desertum et Aegyptus infidelium corda significant, quae et deserta, id est, derelicta sunt a Deo, cujus inhabitatione sunt indigna. Et haec eadem sunt juxta interpretationem nominis Aegypti, perfidiae suae tenebris obscurata. Nec immerito qui deseritur a gratia divinae lucis, repletur a principe tenebrarum. Apprehensum ergo angelus daemonem, qui Tobiam occidere cupiebat, ligavit in deserto superioris Aegypti; quia cohibitum

a raptu fidelium, qui membra sunt sui Redemptoris, idem Dominus et Redemptor noster diabolum infidelibus tantum dominari permittit. In quibus etiam ligatum tenet eum; quia nec ipsos quos possidet impios, tantum laedere sinitur, quantum insatiabili furore desiderat.

Interea circa pullorum cantum timens Raguel, ne forte occisus esset a daemone Tobias, fodit sepulcrum cum servis; sed hoc confestim agnita sospitate illius, jussit terra repleri. Cantus pullorum sonus est praedicantium, qui cum mane diemque verum fidei mundo post tenebras erroris adfuturum canerent, erant quidam in populo gentium, qui dubitarent an vere Dominus hostem vicisset antiquum, ideoque fidem nominis ejus obruere atque abscondere satius aestimarent; qui tamen postmodum agnita luce veritatis, quasi aurora procedente et crebrescente pullorum cantu, id est, voce doctorum, qui ad superna desideria alacri cordis volatu se levare consuerunt, omne nubilum dubitationis sua de mente pepulerunt, ac veraciter Christum, hoste prostrato, sponsum esse sanctae Ecclesiae cognoverunt.

Laetatus Raguel de vita Tobiae, et de conjunctione ac nuptiis filiae suae, fecit occidi duas vaccas pingues, et quatuor arietes, et parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis suis. Laetatus de fide Christi populus gentium, et de vocatione gentilitatis ad Deum, tantum proficiebat in Domino, ut etiam de ejus numero doctores fierent, iidemque postmodum et martyres exstiterint. Qui vaccae utique sunt, quia jugum Evangelii leve gestant; quia eos quoque, qui ut ad portandum idem jugum proficiant, praedicando gignunt et nutriunt. Sunt et arietes, quia patres et duces sunt populorum, de quibus dicitur: *Afferte Domino filios arietum (Psal.*

XXVIII). Sunt autem pingues vaccae, quia superna delectationis gratia sunt referti doctores. De qua Psalmista precatur: *Sicut adipe pinguedinis repleatur anima mea (Psal. LXII).* Sunt duae vaccae occisae, quia quicumque pro Christo, vel ipsi corpus suum sponte mortificant, ut hostia viva fiant, vel in manus infidelium tradunt occidendum: tales nimirum per arma justitiae, a dextris et sinistris, id est, in prosperis et adversis, contra hostem stare didicerunt. Sunt quatuor arietes occisi, quia sancti doctores et martyres quatuor libros sancti Evangelii fide et operatione conservant, quia quatuor virtutibus primis, prudentia, fortitudine, temperantia, justitia, muniuntur; quia per orbem universum, qui quatuor plagis distinguitur, gregem Christi instituunt. Fecit Raguel vaccas et arietes occidi, quia populus gentium tale eos qui de sua stirpe ad fidem venerant, esse docuit, quos praeceminentia virtutis hostis tentare appeteret, nec tentatos vinceret, sed victores posset facere martyres. Vel certe ipse fecit occidi, quos carnem suam pro Christo cum vitiis et concupiscentiis crucifigere docuit. Quarum occisione paravit epulas omnibus vicinis suis, quia profectus, vita, passio et corona sanctorum, multis laetitiam tribuunt, et quasi epulas, ex quorum reficiuntur exemplis, accipiunt.

Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud eum. Adjuramus et nos Dominum nostrum, orantes ut nobiscum maneat, donec perfectionem sanctae requiei per Spiritus sancti gratiam consequamur, qua requiescamus a servilibus actibus, id est, peccatis in corpore, et a pravis cogitationibus in mente; et requiescat in nostro corde et corpore ipse qui ait, Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et tementem sermones meos?

(Tob. IX.) *Petit angelum Tobias, ut assumens animalia sive servitia vadat ad Gabelum in Rages Medorum, reddatque ei chirographum suum, et recipiat ab eo pecuniam, rogetque eum venire ad nuptias ejus, et annuit.* Petunt Dominum fideles, membra videlicet ipsius, ut assumat aliquos de credentibus, eisque verbi praedicandi negotium committat, et ipse in eis veniat ad colligendas in fidem suam nationes quae necdum fidei mysteria susceperunt, sed tantum famam audierunt; eisque concedat propitius, ut talentum verbi quod fama didicerunt, per fidei obedientiam reddant; et ipsi quoque ad nuptias sanctae Ecclesiae, in quibus sponsus est Christus, in quibus vinum de aqua novum fecit, id est spiritualem legis dat intelligentiam, credendo et recte vivendo aggregentur. Nec abnuitt Dominus, sed bene rogantium vota suscipiens, novos quotidie populos in Ecclesiam cogit. Potest, ut supra dicitur, de his spiritualiter intelligi nationibus, quae litteram legis per LXX translatores acceperunt: et ideo citius fidem suscipere valebant, utpote quam in libris notis tenebant.

Assumens ergo Raphael quatuor ex servis Raguelis, et duos camelos, in Rages Medorum perrexit; et indicans ei cuncta de Tobia, recepit pecuniam, eumque secum ad nuptias fecit venire. Servi Raguel et cameli praedicatores sunt de gentibus electi, per quos Dominus et alios colligit. Servi, quia serviunt necessitati eorum quibus evangelizant. Cameli, quia et onera infirmitatis eorum fraternae subjectione charitatis portant. Quare autem quatuor servi et cameli sint duo, supra monstratum est, ubi vaccae duae, et quatuor occiduntur arietes. Tales adjuvante Raphael producunt Gabelum ad nuptias Tobiae, cum in unitatem Ecclesiae Christi novos

populos, ipso divinitus opitulante, sancti praedicatores aggregant.

(Tob. X.) *Moras faciente Tobia nuptiarum causa, contristati sunt parentes ejus, quod non die constituto reverteretur ad eos.* Et nunc morante Christo per fidem in Ecclesia congregata de gentibus, quicunque singillatim de Judaeis ad fidem illius convertuntur, multum dolent animo; quia tardat Dominus venire ad salvandos eos, retentus in gentibus. Quibus bene congruit, quod mater ejus pauper, et quasi viro simul ac filio orbata, multo cum dolore dicebat:

Heu, heu, fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, etc. Quodque Tobias consolans eam, respondet: *Tace, et noli turbari, sanus est filius noster, etc.*, eisdem ipsis qui nunc de Judaeis credunt, convenit; qui se suosque in hoc adhuc consolantur, quod vere futurum sit tempus, quando revertatur ad eos Dominus, et tunc omnis Israel salvus fiat; scientes, quia satis fidelis est Dominus, qui hoc promisit. Sicut enim supra docuimus, idem Tobias et per caecitatem suam incredulos, et per fidem credentes more Scripturis usitato designat.

Rogat Tobiam Raguel ampliore tempore manere secum, nec auditur, dicente Tobia: Ego novi, quia pater meus et mater mea modo dies computant, et cruciatur spiritus eorum in ipsis. Et cum plenitudo gentium intraverit, nullus poterit prohibere Deum, quin et Israel salutem tribuat, caecitatemque ejus, quae ex parte facta est, auferat. Recordatur enim divina clementia, quoniam tristitia est magna, et continuus dolor cordis credentibus ex Judaeis pro caecitate incredulorum, qui sunt cognati eorum secundum carnem, qui sunt Israelitae.

Dimisit ergo Tobiam Raguel ad parentes suos, tradens ei Saram cum multa substantia. Remittunt in fine doctores Ecclesiae Christum, cum ipsa Ecclesia virtutum divitiis plena, ad illustrandum fide, ditandamque bonorum operum substantia gentem Judaeorum, ex qua carnem assumpsit.

(Tob. XI.) *Praecessit angelus et Tobias ad parentes ejus; deinde secuta est uxor ejus cum substantia et familia ejus.* Postquam illuminator pater praecedit divina gratia ad illuminandam caecitatem populi Judaeorum, atque in suis litteris Christum verum Deum atque hominem esse cognoscunt, et post agnitionem rectae fidei, quasi viso angelo et filio suo, quos diu non viderant, multum gaudentes; sic tandem se sanctae Ecclesiae, quae est de gentibus congregata, participatione mysteriorum coelestium jungunt.

Appropinquantibus domui praecucurrit canis, qui simul fuerat in via, et quasi nuntius adveniens blandimento suae caudae gaudebat. Non contemnenda est figura canis hujus, qui viator et comes angeli est. Doctores ergo, sicut et supra docuimus, exprimit Ecclesiae, qui saepe confligendo cum haereticis, lupos graves a Pastoris summi fugant ovili. Quibus bene congruit, quod canibus naturale est, beneficis rependere gratiam, et sollicitas excubias pro dominorum salute praetendere. Praecurrit ergo canis; quia prius salutem praedicat domui, deinde Dominus illuminator corda mundi. Et pulchre dicit *quasi nuntius adveniens*, quia nimirum doctor quisque fidelis nuntius est veritatis; pulchre, *blandimento suae caudae gaudebat*: cauda quippe, quae finis est corporis, finem bonae operationis, id est perfectionem, vel certe mercedem, quae sine fine tribuitur, insinuat. Blandimento ergo caudae gaudebat canis, cum tecta dominorum, quibus diu

aberat, reviseret. Gaudent doctores de affectu sui operis, cum Judaeam per suum ministerium a Domino recolligendam intelligunt. Gaudent de praemii perceptione vitae sempiternae, et de hoc eodem praemio cunctis electis communi, corda eorum, quibus praedicant, exhilarant, dum eis adventuram confestim Christi gratiam promittunt.

Annuntiante igitur cane venisse Tobiam, exsurgens caecus pater ejus coepit offendens pedibus currere. Audito a doctoribus verbo salutis, exsurrexit populus Hebraeorum de longo perfidiae suae veterino, currit amore ad Dominum; quamvis offendens gressibus operum, donec plenitudo fidei et operationis bonae, lucem recipiat regeneratus in Christo, et instructus.

Et data manu puero, occurrit obviam filio suo. Dat manum puero caecus, ut inoffenso pede operis Domino occurrat; qui etsi ipse necdum viam fidei plene intelligit, ei tamen qui lumen veritatis bene cognovit, assensum praebere, qua ad Dominum perveniat, satagit.

Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, flentesque prae gaudio. Suscipiens cum gaudio Judaea in fine copulam Christi, junxit et fletum: gaudens, quia credit; dolens, quia tam sero ad Dominum pervenit.

Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et Dominus credentibus revelat apertius, quanta est malitia draconis antiqui, qui illum in passione quondam devorare gestiebat; sed per hoc ipse potius occisus, sua membra, id est, eos quos antea tenebat, amisit.

Coepit ex oculis Tobiae quasi membrana ovi albugo egredi, postquam liniti sunt de felle piscis, et visum recepit. Et Judaeorum populus, postquam amarissimam nequissimi hostis malitiam cognoverit, amissam recipiet lucem. Albugo, quae obsederat ejus oculos, stultitiam sibimet placendi designat. *Habent enim zelum Dei, sed non secundum scientiam (Rom. X).* Et sicut iterum dicit: *Suam justitiam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti (Ibid.).* Pupilla enim nigra videt, alba tenebrescit. Et qui sibi sapientes videntur, dicentes: *Nunquid et nos caeci sumus (Joan. IX)?* in his veritas non est. Qui autem suae fragilitatis et ignorantiae conscii dicere norunt, *Deus meus, illumina tenebras meas (Psal. XVII);* hi luce vitae sunt fruituri in Domino. Bene autem albugo quasi membrana erat ovi, per ova quippe spes designatur; quia videlicet nondum vivum est, nondum animans est, sed separatur a volucre, quae hoc posuerat, quando vivat, procedat, currat, volet. Et Apostolus ait: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (Luc. XI).* Unde et in evangelica parabola sub nomine panis, piscis, et ovi, tres summae virtutes, fides scilicet, spes, et charitas exprimuntur. Habet ergo populus Judaeorum adhuc velamen ante faciem cordis, ut non intelligat gratiam Christi. Habet albuginem, quia sibimet candidus et justus prae omnibus videtur. Sed habet eandem albuginem quasi membranam ovi; quia caecitatem sustinet mentis, sub spe stultissima et supervacua nascituri in carne Christi, atque eos liberaturi eisque regnum magnum daturi per orbem. Sed quibuscunque eorum ablata fuerit erroris caligo, agnoscent quia Christus jam venit, et mundum suo sanguine redemit. Quibus apte congruit quod sequitur:

Quia, visu recepto, glorificabat Deum Tobias cum uxore sua, et omnes noti ejus, dicens, Benedico te, Domine Deus Israel, quoniam tu castigasti me, et tu salvasti me, etc. Septem dies lucem gratiae spiritualis, qui septiformis accipitur, insinuant. Post septem ergo dies, illuminato Tobia, ingreditur uxor filii ejus, quia postquam illuminata fuerit Judaea per fidem, postquam gratiam sancti Spiritus acceperit, ingreditur ad eam Ecclesia, ut sit unum ovile et unus pastor, sitque una domus Christi uno angulari lapide firmata.

Ingressa sunt et pecora et cameli, et pecunia multa uxoris. Multae fidelium personae, multae virtutes Ecclesiae tunc in populum Judaeorum congregantur.

Sed et illa pecunia, quam receperat a Gabelo. Scientia quoque Scripturarum, quas aliquando gentibus commodabant, tunc eidem redditur.

Venerunt consobrini Tobiae, congratulantes ei de omnibus bonis quae illi fecit Dominus, et per septem dies epulati sunt cum eo. Hoc est quod in cantico Moyses dixit: *Laetamini, gentes, simul cum populo ejus* (**Rom. XV**). Septem dies epulantur simul; quia in donis spiritualibus et virtutibus gaudent. Rediturus ad coelum angelus, apertius illis quis sit ipse, et quare venerit, quodque sit reversurus ad Deum, exponit. Et Dominus eidem populo tunc proficienti latius suae cognitionis munera patefacit, aperiens et ostendens omnibus, quia ipse in Patre, et Pater in ipso est. Redit ergo angelus ad Deum, remanet apud patrem Tobias. Et Dominus ab electis intelligitur, in divinitate Patri aequalis, humanitate nobis consubstantialis.

(Tob. XIII.) *Tunc aperiens os suum senior Tobias, benedixit Deum.* Confessus severitatem et misericordiam ejus, simul et admonens fideles ejus beneficia semper praedicare, ejus flagella pertimescere; imbutusque spiritu prophetiae, de superna Hierusalem matre nostra multa per laudem decantat. Et populus Judaeorum conversus in fine saeculi ad fidem, multos habebit doctores et propheticos viros, qui mentes proximorum ad superna desideria accendant, dum eis coelestis patriae gaudia perpetua, crebra voce resonant.

(Tob. XIV.) *Tobias senior in hora exitus sui vocavit ad se Tobiam filium suum, et septem filios ejus nepotes suos, dixitque eis, quia prope esset interitus Ninive, et instauratio Israel.* Et tunc in Judaea doctores quippe fideles et justi hoc videntes, hoc exituri de mundo suos propinquos admonent, quia mundus jam propinquet ad finem, et futurae vitae bona proxime sint ventura. Monent autem hoc eos maxime, quos per Domini gratiam renatos, et Spiritus septiformis esse munere repletos aspiciunt; quod est esse filios Tobiae Junioris in numero septenario, et hos juvenes, hoc est, fortes in fide et vincentes malignum.

Dirigite gressus vestros, ut exeatis de Ninive. Video enim, quia iniquitas ejus finem dabit ei. Et hoc est dicere fidelium suis auditoribus: Dirigite intentionem cordis vestri, ut hujus saeculi terrenaecque conversationis desideria relinquatis, et tota mente coelestia petatis. Constat enim, quia tanta est pravorum multitudo, tanta praeceptorum Dei transgressio per orbem, quae non aliter nisi orbis ipsius exterminio, sicut quondam in diluvio totiusque generis humani abolitione possit terminari.

Abscessit ergo Tobias ex Ninive cum uxore sua et filiis et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos, et invenit eos in senectute bona. Hoc quotidie facit Dominus, hoc usque ad finem saeculi facturus est, cum derelictis eis quos suos non esse cognoscit, ad illorum corda visitanda et illustranda convertitur, quos ad vitam praedestinavit aeternam. Hos enim in senectute bona invenit, cum bonis operibus diu studuisse se donante laetatur. Alioquin in mala senectute videt, et idcirco praeterit eos, qui [longe a] divinis viventes non maturi sunt consilio, non candore bonae actionis quasi canitie venerandi, sed vitiorum sunt onere incurvi. De qualibus dicit Isaias: *Centum annorum morietur puer, et peccator centum annorum maledictus erit (Isa. LXV).* Merito pro peccatis suis maledictioni subjacebit, qui cum multis annis vixerit, puerilis tamen animi levitatem nunquam deserere curavit.

Invenit eos in senectute bona incolumes, etc. Et Dominus ac Salvator noster curam agit eorum quos in bonorum operum incolumitate perstare cognoverit. Ipse intuitum cordis eorum a praesentis vitae delectatione claudens, ad contemplationem perpetuae lucis attollit. Ipse illos post hujus vitae terminum ad coelestia perducit. Ipsius est haereditas, de qua ei canitur a propheta: *Exsurge, Deus, judica terram, quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus (Psal. LXXXI).*

Et completis in timore Domini annis plurimis cum gaudio, sepelierunt eum omnes cognati ejus. Sepultura Tobiae, fidem totius mundi designat, quando Dominus noster cum toto corpore suo, quod est Ecclesia quam redemit, in requiem intrat aeternam, congratulantibus angelis de societate hominum redemptorum, et singulos quosque, membra videlicet sui

Conditoris, per diversas supernae patriae mansiones, pro meritorum diversitate collocantibus

Et omnis generatio ejus in bona vita et sancta conversatione permansit. Hoc est, una per totum orbem, totumque saeculi tempus generatio, quaerentium Dominum, requirentium faciem Dei Jacob (**Psal. XXIII**). De qua item dicit: *Generatio rectorum benedicetur* (**Psal. CXI**). Quae est autem vita melior, quae sanctior conversatio, quam in gloria sui Conditoris perpetuo manere?

Ita ut accepti essent tam Deo, quam cunctis habitatoribus terrae. Perducti ad patriam coelestem homines, accepti erunt Deo, cujus gratia sunt redempti accepti erunt et angelis, quorum numerum complebunt, quibus in perpetuum fraterna sunt societate copulandi. Hi sunt etenim habitatores terrae illius, de qua Dominus dicit: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (**Matth. V**); quam videre desiderans Psalmista dicebat: Credo videre bona Domini in terra viventium (**Psal. XXV.**).